

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**De Augustana Confessione Pauli Dolscii, Medici Hallens.,
cura Graece reddita**

Gueinz, Johann Christian

Hallis Saxonum, 1730

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-67493](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67493)

iuris in primis canonici stator & vindex. Huius prudentia, virtus & doctrina quam maxime eluxit, cum AN. CIO IO XXXVI in componendis principum summorum IO. FRIDERICI Electoris & GEORGH ducis Saxoniae, controuersis, ac an. CIO IO XLII in grauissimo negotio restaurandae, quae dicitur, *cameræ imperialis* iussu Electoris Saxonici insignem operam collocaret, ne quid detrimenti causa religionis in re publica pateretur. Non minor autem in ipso fuit fides ac diuinæ veritatis cura, his, qui sacrorum emendationi studebant, dudum probata. Hinc pro insigni in rem christianam studio facile iudicauit, gratam & commodis ecclesiae hanc vtilem operam fore, si in graecam linguam transponeretur breuiarium doctrinae *augustanum*, quod ea iam ætate germanicis, latinis pluribusque aliarum gentium litteris exscriptum publice legebatur.

Id tempus alebat Halla PAVLVM DOLSCIVM *Plauensem* (*), qui cum per aliquot annos scholæ Hallensi *rector* præfuisset, summos in arte salutari honores a senatu academiae Patauinæ consequutus, *archiatrum Reuerend. & illustr. Principis SIGISMVNDI AEP. MAGD.*

(*) Grata meritis suis DOLSCIORVM, *Pauli & Augustini*, Hallensibus est memoria. Par nobile fratrum *Plauia variscorum* genuit. Alter *Augustinus* medicinae doctor expleuit vices poliatri Hallensis ab amplissimo senatu demandatas. Alter *Paulus* natu maior & iuuentutem instituit & curauit ciuium valetudinem & rem salariam administravit & consulatum gessit feliciter, ac ne deesset post fata, quibus a. CIO IO LXXXIX succubuit, bene merendi copia, fructus legatorum annuos tum gymnasii tum xenodochii alumnis ac ceteris liberalium artium cultoribus testamento decreuit. Cuius vestigia premens filia BENIGNA, nupta primum reipublicae Hallens. Camerario *Caspari Zeisio* tum *D. Paulo Hahnio* ciuit. Hall. Syndico, non

exiguam partem bonorum & litterarum cultoribus & xenodochio & ministris verbi diuini addixit laudabili instituto, cuius fructus hodieque percipiuntur. Cineres tumulus Hallensis seruat, epitaphio, quod suis sumtibus parauerat, per iniuriam temporis destructo consumtoque prorsus, nisi epigraphen, vt sexcenta ciuitatis patriæ monumenta, ab obliuione vindicassent Hallenses theologi GOTF. OLEARIVS *Halygr. P. II. p. 318,* & IO. GOTF. OLEARIVS *Cæmet. Saxo-Hall. p. 56.* Recentissime theologus *Brunsvicensis* POLYCARPVVS LYSERVS operæ pretium fecit, litteris tradens quæcumque de vita ac scriptis Dolscii habebat, publici iuris facta a V. C. TH. CRENIO *animaduers. P. III, 234. VI & IX, 187.*

A 2

pariter

pariter ac ciuitatis egit, atque post honores *pegarchæ*, vrbi in qua cum summa laude vixerat, inpositus est *consul* an. *CIO IO LXXX*, litterarum non minus, quam rerum gerendarum scientissimus. Cum primis autem græcæ linguæ (*) laude, ad exemplum præceptoris PHIL. MELANCHTHONIS floruit, quapropter ab illustri KLINGIO, vt τὴν τῶν ὑγιαίνοντων λόγων ὑποῦπωσι græcis litteris redderet, pio animi adfectu frequenter monebatur (**).

Quis autem tanti viri auctoritatem in re tam ardua haberet flocci? quis in singularibus ac mirandis diuinæ prouidentiae documentis non agnosceret, hæc doctrinæ capita in linguas plures translata innotuisse remotissimis gentibus. Cum enim D. CAROLVS V CAES. AVG. hanc confessionem *Alfonso Valdesio & Alexandro Schweiffio*, rogatu legati pontificii, in Hispanicam & Italicam linguam transferri iussisset, regum etiam non nullorum, vtpote *Gallici, Britannici, Portugallensis, Lotharingie & Iuliacensis ducum*, aliorumque principum legati in suæ gentis idioma transponi curassent, vt dominorum suorum certas de eadem sententias explorarent, ea ratione *confessio Saxonica* per totum orbem terrarum exiguo temporis spatio (***) diffeminata fuit. Græca ergo lingua, qua in tradendo verbo diuino sanctissimi viri vsi sunt, ne

(*) Prostant ingenii ad græcas litteras & poësin aptissimi monumenta plura PSALTERIVM DAVIDIS *Basileæ* *CIO IO LV*; ECCLESIASTES SALOMONIS *Lipsiæ* *CIO IO LIX*; ECCLESIASTICVS *Lipsiæ* *CIO IO LXI* edita. Hinc frequentem nostri mentionem fecit v. c. IO. ALB. FABRICIVS *Biblioth. græc. L. III. c. 29. p. 370, L. V. c. 16. p. 668 & 671. c. XLV p. 518*, laudauitque in hanc rem CONRADI DINNERI *græcorum poetarum catalogum & Jac. Duporti Cantabrigensis* metaphrasin psalmorum heroicis versibus editam *Londini* *CIO IO CLXXIV*. Quibus addenda ZACHAEI FABRI, ANT. PROBI cetero-

rumque elogia in CRENII *animad. III. p. 234*. MARTIN. CRVSIVS *Turcogr. P. III. p. 364*. & vir græce doctus CON. VTHENHOVIUS *Patr. Gandau.* in laudes nostri amplissimas excurrit, cum scriberet ἡδουδάτης εἰς ποιητῆ Παῦλε Δολσιὸς πλαέως ὕμνος ἐπίγραμμα Psalmis Dauidicis Dolscio interprete editis subiunctum.

(**) KLINGII in hac causâ fidem post *Dolscium* commendat MART. CRVSIVS *Turco-Græc. P. III. p. 364*. POL. LYSERVS in litteris ad TH. CRENIUM *animaduers. P. XI. p. 189. 190*.

(***) GEORG. COELESTINI *hist. comit. Augustan. T. II. p. 190*.

deside-

desideraretur in his, quibus symbolum ecclesiae descriptum exstabat, DOLSCIVS illud verbis, quam potuit, vsitatissimis nec a consuetudine & proprietate graeci sermonis alienis reddidit, ea quidem lege, vt primo loco traderet κεφαλαία, ἢ ἀρθρα τῆς ὑγιανῆσης καὶ σωτηρίας πίστεως ἐξάιρεση, siue *praecipuos*, quos pii confessores scripserant, *fidei articulos*, posteriori autem parte κεφαλαία ἐν οἷς καβαλέγονται αἱ μελαπεποιημένα τῶν καλαχρήσεων siue *articulos*, in quibus recensentur *abusus mutati*. Ea etiam fide versatus est in grauiissimo negotio, vt nihil de suo adderet aut substitueret his, quae in alienam linguam traducenda susceperat, sed presso pede sequeretur vestigia & verba confessionis doctrinae inuictissimo CAES. AVG. CAROLO V *Auguste Vindelicorum* A. CIO IO XXX exhibitæ, alienissimus a mente PHILIPPI MELANCHTHONIS, qui praepostero pacis studio consilioque privato in mutanda confessione non nulla tentauerat non sine insigni turbarum atque offensionum periculo.

Ceterum DOLSCIVS hanc lucubrationem mole exiguam argumento grauiorem illustri KLINGIO, scriptis ad eundem *de diuino linguarum dono eoque cætibus ecclesiasticis perutili*, litteris, quas *esalinis ad ripam Sale idibus Martii* A. CIO IO LVIII dedit, humanissime obtulit, vt, qui ad scribendum ipsi hoc opusculum hortator fuerat, idem suo patrocinio scriptum tueretur.

Et tuebatur omnino vir summus probabatque ad nutum ipsius elaborata, suffragantibus, qui rei christianae studebant, bonis omnibus: quare luce publica dignus libellus, ne intra priuata serinia delitesceret, commendatus V. C. IOANNI OPORINO, ex ipsius officina *Basileæ* typis exscriptus, *forma*, quam dicunt, *octaua* prodit A. CIO IO LIX, hac ornatus epigraphæ:

ΕΞΟΜΟΛΟΓΗΣΙΣ

τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, ταῦτέστι διδαχῆς χειριανικῆς περὶ συνεχθεῖσα καὶ ἐβλῶ τῶ τῶν ρωμαίων ἀυτοκρατορῶ ἀνικησάτω ἐν τῇ τῆ Σεβαστῆ παρῶνυμῶ τῆς Γερμανίας πόλι ἐτει ἀπὸ τῆς χειρογονίας α Φ λ μελαφραδεῖσα ἀπο Πάυλῆ τῆ Δολσκίῆ Πλαέως.

Vix lucem adspexerat libellus, cum laudabile institutum quam maxime probarent boni omnes atque in his PHILIPPVS MELANCHTHON, qui & KLINGII olim (*) collegæ, & *Dolscii* pridem discipuli

(*) v. Phil. Melanchth. ad Ioach. Camerar. epist. p. 375. & 494.

familiaritate utebatur. Peropportune autem accidit, ut eadem ætate in Wittebergenſi academia ageret eccleſiæ græcæ apud *Byzantinos* diaconus, DEMETRIVS quidam, gente *myſus*, homo, ut *Melanchthon* (*) iudicat, nec indoctus nec inutilis, qui explorandæ doctrinæ cauſſa noſtrarum eccleſiarum, profectiõnem hanc ſuſceperat. Cum ergo exacto ſeſtremi AN. CIO IO LIX domum reuertetur, exemplum huius verſionis græcæ MELANCHTHON *Patriarchæ CPtano* IOASAPHO, vna cum litteris (**) per *Demetrium* eo animo miſit, ut ſummatim confeſſionem fidei ederet, cuius cauſſæ teſtem allegare ipſum Melanchthonem liceat, qui hac de re ad BORDINGVM (***) ſcripſit: *Mitto tibi interpretationem græcam confeſſionis, ſine meo conſilio editam; probo tamen phraſin: ac miſi Conſtantinopolin, per virum doctum, qui ibi diaconi officio fungitur & tota eſtate noſter hoſpes fuit: ac narrauit, multas adhuc eccleſias in Aſia & in Thracia & vicinis regionibus eſſe, ſed paulatim propter ſeruitutis ærumnas diminui frequentiam.*

Laudanda *Melanchthonis* ſtudia promouerunt poſtea IACOBVS ANDREAE & MARTINVS CRYSIVS ille *theologiæ*, hic *græcæ linguæ* in academia *Tubingenſi* profeſſores, qui inſtituto de capitibus religionis chriſtianæ litterarum commercio, eiſdem verſionis græcæ exemplum AN. CIO IO LXXV ad IEREMIAM *Patriarcham CPtanum* *Conſtantinopolin* miſerunt. Delectus enim erat, quod poſt alios nuper HEINECCIUS (****) noſtras expoſuit, e ciuibus academiae *Tubingenſis* STEPHANVS GERLACHIVS, ut *legati apud turcas Cæſarei DAVIDIS ab VNGNAD, Baronis in Sonneck & Frauenburg* a concionibus ſacris eſſet, quo cum *Crufius* miſit primam ad *Patriarcham CPtanum* epiſtolam, idemque fecit anno ſequenti, quo *auguſtanæ* confeſſionis exemplaria plura græcæ a *Paulo Dolſcio* conuerſæ ad preces *Byzantinorum* miſſa ſunt.

(*) Epift. ad IOACH. CAMERAR. p. m. 751. IOACH. CAMER. de *vita Melanchth. Comm. J. CXI. p. 381.*

(**) Litteras ad *patriarcham* ſcriptas ipſe *Melanchthon* paſſim commemorat *Epift. L. II. p. 93. 361.* quas cum MART. CRYSIVS in *poematibus græcis* a. 1566 pri-

mus edidiſſet, poſt alios nuper IO. ALB. FABRICIVS *bibl. græc. L. VI. c. X. p. 648.* exhibuit.

(***) IO. HEN. HOTTINGERI *hiſt. eccl. c. XVI. ſect. 2. p. 51.*

(****) D. IO. MICH. HEINECCIUS *Abbil- dung der griech. Kirche P. I. c. III p. 187.*

Tam prospere cessit rei christianæ, quam KLINGIO consultore præstitit operam *Dolscius*. Cuius industriæ vt sua laus constet, vel binis verbis commemorare tua pace liceat, VIR EXCELLENTISSIME, incertas nonnullorum de auctore huius interpretationis sententias. Sunt enim (*), qui hoc nomine IOAN. DOLSCIVM laudant *canonicum* Wittebergensem & ordinis theologi *decanum*, cui a patria vrbe Sueviæ *Feldkirchii* nomen adhæsit. Enim vero teste illustri SECKENDORFFIO (***) iam decesserat A. CIO IO XXIII vir doctissimus atque emendandis sacris vna cum IVSTO IONA quam maxime intentus, vt nihil ab eo post fata expectari potuerit in hac causa. Multo plures nomine *Dolscii editam sed a Philippo Melancthone compositam* hanc interpretationem fuisse tradunt, & primus forte in hanc sententiam concessit MART. MYLIVS(***) cuius auctoritatem sequuti sunt viri magni IO. HENR. HOTTINGERVS (****), MELCH. ADAMVS (****), CHRIST. KORTHOLTVS (*****). Incerto rumore VINC. PLACCIUS V. C. ANTON. TEISSIERIO (******) inposuit, vt post recensita *Melancthonis* scripta augustanam confessionem ab illo in græcam linguam translata sub *Pauli Dolscii* ficto quasi nomine produisse adfirmet. Eundem memoriæ lapsum passi fuerunt ex recentioribus nonnulli, quos ipsius *Melancthonis* litteræ supra laudatæ rectora edocere poterant. Porro IO. CHRIST. DORN (******) a MART. CRVSIO præstitam esse hanc operam refert, eadem scilicet fide, qua *Wittebergæ* CIO IO LIX græce confessionem augustanam editam fuisse tradit.

Enim vero quid verbis opus est, vbi & rerum adsunt & cla-

(*) ven. VAL. ERN. LOESCHERI *Acta reform. T. I. c. 32. p. 566.*

(**) *hist. Luther. lib. I. p. 276.*

(***) in *chronol. scriptorum Phil. Melancthonis*, cuius iniecit mentionem MART. CRVSIVS *Turogræc. P. III p. 364.*

(****) *hist. eccl. l. c.*

(*****) in *comm. de vit. theol. speciatim Phil. Melancth.*

(******) *hist. eccl. sæc. XVI c. 1 p. 812.*

cui suffragatur IO. FR. BVDDEVS *isag. historico-theol. p. 1406.*

(******) Vtrumque hoc nomine monet THOM. CRENIUS *animadu. P. II §. XIII p. 23.* allegans PLACII *Tr. de script. anon. p. 174 & 185,* & TEISSIERII *consularii & historiogr. Elect. Brandenb. Elogia P. I. & II p. 192.*

(******) *biblioth. theol. crit. P. II. L. IIX c. H. §. 14.*

rissimo-

rissimorum virorum testimonia. Quem supra laudauimus *Melanchthonem* prætereo: *Tubingensis* autem academiae proceres mox nominati, vbi de capitibus religionis cum græcis actum fuit, *Dolscium* interpretem delegerunt, eiusque interpretationem in (*) commentariis luci publicæ expositis præcipuo loco collocauerunt: quos sequuti *Wittebergenses* eandem suffragio superiorum curante *Zach. Lehmanno* CIO IO LXXXVII denuo *Wittebergæ* excudi voluerunt. Addo MART. CRYSIVM *Dolscii* laborem contra *Mylii* officias non sine insigni laude vindicantem: eiusdem existant litteræ ad D. MATTH. DRESSERVUM, quibus salutem vult dici *Dolscio*, ipsique referri, *Tubingenses* græcam eius conuersionem *august. confessionis* græcis præcipuis *Constantinopolin* misisse, cum ipse fortassis hæcenus putarit, se perdidisse suam operam (**). In promptu etiam sunt ANT. PROBI, BENED. SCHVMANNI, GOTF. OLEARII, POL. LYSERI, quæ in lucem denuo produxit publicam V. C. TH. CRENIVS (***) , testimonia, vt de AND. IOCISCO (****) ceterisque nihil dicamus.

Ad rem vt e diuerticulo redeat oratio, qua par est, obseruantia, obsecro, VIR EXCELLENTISSIME, quis tam stupidus esset atque mentis inops, vt in hac causa diuinæ benignitatis vestigia non attenderet, ex qua factum, vt, quæ Germaniæ nostræ lux adfulsit, radios spargeret in ipsam orientis plagam. Qua in causa facile consentientes ex nostris habemus, quotquot in demonstrandis singularibus circa *augustanam* confessionem prouidentia diuinæ documentis operam posuerunt. Neque enim intra fines vrbis *CPTanæ* substitit fama doctrinæ purioris sed penetrauit plures

(*) Prodierunt *Wittebergæ* A. CIO IO LXXXIV *acta & scripta theologorum Wirtembergensium & Patr. CPTani D. Hieremiæ*: quæ vtrique ab anno CIO IO LXXVI vsque ad a. CIO IO LXXXI de *augustana* confessione inter se miserunt græce & latine edita, in quibus distincte recensentur epistolæ clarissimorum virorum vna cum *confessione augustana* græce versa a P. *Dolscio* p. 5-53.

(**) M. CRYSIVS *Turcogræc. L. III* p. 364. & 496.

(***) animaduers. loco supra citato.

(****) opusculo de *vita Io. Oporini*, cui subiunxit librorum per *Oporinum* excusorum catalogum atque in his numero CLXXXII collocat *augustanam* confessionem græce per P. *Dolscium* scriptam.

Asiæ regiones, postquam augustanæ confessionis exempla tradita fuerunt non HIEREMIAE soli Patriarchæ CPtano & THEODOSIO ZYGOMALAE protonotario Constantinopoli magnæ Patriarcheii ecclesiæ, verum etiam METROPHANI Berrhææ metropolitæ, GABRIELI Philadelphico metropolitæ, SIMEONI CABASILLO hierodiacono & D. MICHAELI CANTACUZENO, qui in vulgarem linguam transferendum curauit libellum (*). Quin in Ibericam seu Georgianam linguam conuersus in illam quoque regionem abiit: quippe WENCESLAVS BVDOWICZ a BVDOWA Cesarei apud Turcarum Imperatorem legati magister aula inuentum inter græcos volumen græcum confessionis augustanæ, Basileæ impressum, Georgianorum principi QVARCKWARE ATIBAC AN. CIO IO LXXIX obtulit, quem benigne acceptum in Ibericam linguam transferri & ad suos vna cum exemplari græco transportari (**), curauit, agens ea ætate in aula Turcica.

Quare (***) IO. OLEARIVS senior, ecclesiæ Hallensis superintendens, vbi non sine animi quadam voluptate se professus erat vrbis & ecclesiæ Hallensis ciuem, ministrum, alumnum & membrum, vnde primum augustana confessio græce prodierit, eam non tantum longe lateque Europam sed etiam Asiam & Africam peruasisse & a græcis hominibus, quod a fide dignis acceperat, in Aegypto, Palæstina, Bulgaria, Constantinopoli quoque in aula Turcica lectam fuisse affirmat, certa spe fretus, quod vi promissionis illius de verbi cælestis efficacia, quam Esaias inter cetera memoriæ prodidit oracula, procul dubio non paucos salutaribus de religione sententiis inbuerit.

Non est, cur moremur hoc loco LEONIS ALLATHII (****) officias, qui, vt palpum obtruderet curiæ romanæ, studia nostrorum comparata ad veritatis propagationem, venenato stilo infectatur atque libellum *Dofscio* auctore conceptum, nullius pretii, nul-

(*) *Turcograes. Lib. VII. p. 496.*

(**) DAV. CHYTRAEVS de statu eccl. græc. p. m. 71.

(***) in litteris quas scripsit an. CIO IO LXXXVIII ad M. PHIL. GALLVM

Hallensem augustanæ confessionis articulos XXI ebraice Wittebergæ eodem anno edentem. OLEARII *Halygr. p. 122.*

(****) de eccl. orient. & occid. consens. L. IIIc, VIII p. 1008.

lius vsus & abolitum prorsus fuisse apud græcos refert, quin indignum hunc laborem iudicat, quo, miseris & Dei permissione adfluctis propter fidem ab inpio tyranno, per summum nefas illudatur. Enim vero de laudabili instituto tradendi christianæ religionis capita rectius iudicandum erat. Quippe, quem in partes suas vocat ALLATIVS, ipse IEREMIAS Patriarcha CPTanus post acceptum hilari vultu libellum momenta religionis potiora complectentem gauisus de humanitate singulari nostros in societatem ecclesiæ græcæ vocavit: *Si igitur, & vos, inquit, viri Germani sapientissimi, & filii mediocritatis nostræ dilecti, vultis, ut mente præditi, ex toto animo vos nostræ adiungere sanctissimæ ecclesiæ: nos, ut patres amantissimi, promte vestram caritatem benevolentiamque recipiemus: si volueritis decreta apostolica & synodica unanimi consensu nobiscum sequi & his cedere.* In hanc sententiam scripsit IEREMIAS (*) ad Tubingenses, quin ceteros quoque ecclesiæ græcæ antistites rectius de nobis sensit & plura confessionis nostræ exemplaria petiisse, ex epistolis vltro citroque missis facile dispalescit.

Esto græcos singulis capitibus confessionis calculum non adiecisse, satis erat pro re nata, absterfisse calumniam nouitatis in oriente de nostris sparsam atque vocasse ad deuia declinantes, si quo modo per Dei gratiam oculi cœcutientium aperirentur & erroribus inolitatis valedicerent græci. Quare dignum patella operculum ut pararet Ulmensium antistes ELIAS VEIELIVS contra *Allatium* exercitatione theologica *de ecclesia græcanica hodierna*, conflictum moderante IO. CONR. DANNHAVERO hanc causam an. MDCLXI in academia *Argentoratensi* peroravit, defenditque peculiari opusculo honorificam nostri mentionem faciens. (**).

Quæ dum stilo parum comto, VIR EXCELLENTISSIME, testatus adfectum pietatis, persequor, veniam audaciæ, qua tua me ar-

(*) *Acta theol. Wirtenbergensium* supra laudata p. 143.

(**) Laudatur Dolscius *J. XI p. 47* opusculi, quod in dissertationibus aca-

demicis præside DANNHAVERO propositis, exhibetur, cuius defensionem deinde VEIELIVS scripsit laudatam eruditissimam.

mauit beneuolentia, inpetraturum esse confido. Maeste sapientissimo illustris KLINGII consilio, quo effecit, vt graece reddita confessio augustana graecae innotesceret ecclesiae hodieque curato studio adseruata in bibliotheca Patriarchae Constantinopolitani (*). Maeste summis virtutibus NEPOTVM KLINGII, quos longa serie nobilissima HOFFMANNORVM familia ostendit, vt quoquo versum in domo TVA circumspiciam, exempla virtutis adpareant praeclearissimae tanto maiori studio ac mentis cultu praedicanda, quod hic ipse annus vere iubilaeus gentis Hoffmannianae existimandus sit. Ex quo enim virtutes LAVRENTII HOFFMANNI *Hallensis* Philosophiae, vtriusque medicinae & chirurgiae Doctoris, quem celsissima princeps DOROTHEA, MARCHIONIS BRAND. ET AEP. MAGD. CHRISTIANI GVILIELMI coniux, pariter ac serenissimus Elector Saxoniae IO. GEORGIUS I archiatrum sibi elegerant, innotuerunt DIVO FERDINANDO II. ROM. IMP. AVG. anno seculi decimi septimi tricesimo nostrum vniuersamque Hoffmannorum gentem in eo dignitatis gradu collocavit, vt iuribus ac priuilegiis NOBILIVM SACRI ROMANI IMPERII & post cetera honorum ornamenta insignibus nobilitatis acceptae signis beneficio Caesaris vterentur, quam in rem scriptarum *Viennae austriacae* litterarum augustalium exemplar splendidissimum in cimeliis bibliothecae TVAE his oculis vidisse, summo pere mihi gratulor. Exacto igitur post acquisitam gentis dignitatem summam saeculo, in iubila precesque mea se resoluit oratio. Viuat, floreat vigeatque ad seram posteritatem familia Hoffmannorum, quae feracissima medicorum filiis salutari in arte primas tenuit hac tenus, vt MEDICA adpellari haud temere queat multis meritis in genus humanum, in rem medicam, in litteras & eruditionem omnem cumulatissima.

Ac ceteris quidem gentis maioribus dubiam, VIR ILLUSTRIS, palmam fecisti machaoniae artis in academia patria professor senior idemque primus, qui summa perspicuitate per decennia qua-

(*) testem HEINECCIUS l. c. laudat | ras ad IO. OLEARIVM, *theologum Lipsien-*
Jeremiam, Graecum sacerdotem qui litte- | sem an. CIO IO CLXXX dedit.

tuor vniuersam disciplinam medicam, cum in rationalem formam redegisles, feliciter docuisti. Atque enim vero cum huius causæ testes habeas monumenta ingenii celebratissima, testes melioris orbis academias, testes post FRIDERICVM SAPIENTEM BORVSICI REGNI CONDITOREM, conplures s. R. IMPERII principes, testem, quem expertus es, inuidiam, & doctrina tua & virtus multo fulgent magis, quam vt meis indigeant hac demum die laudibus. Quin rerum sacrarum studia, quæ insigniter mentem diuino spiritu animatam demulcent, hoc in primis loco commemoranda esse iudico. Ea enim animi contentione in hoc litterarum genere versaris, vt non tibi soli sed in publicum consulas, quare in MEDICIS THEOLOGIS auctoritate summorum virorum principem locum obtinuisti, eoque minus ingratam tibi fore credidi commemorationem rerum religionis causâ bene gestarum.

Quibus expositis diuinum festo hoc Hoffmanniæ gentis die numen imploro, velit TE pro benignitate, quam expertus es in omni vita singularem, saluum incolumemque præstare, annis annos faustos felicesque addere & ingrauescentis senectæ molestias vigore perpetuo resarcire, vt super sis præsidium splendidissimæ familiæ, ornamentum atque TVÆ decus admirabile *Fridericiane*, delictum generis humani, diuinæ benignitatis exemplum illustre. Spes certa est; nam inconcussi stabunt instar montis Siion, nec commouebuntur suo loco, qui in Deo spem omnem collocant. Successus a Deo expectandus, cui adsidue supplicabimus: serua, bone DEVS, HOFFMANNVM, auge munera, eorumque cumulum superadde &, quam vnice omnes precamur, felicitatis perennitatem. Vale & age feliciter. Dab. Hall. Sax. VI Non. Mart. AN. SAL. REPAR. CIO IO CCXXX.

